

## BURGUNDIAE COMITATUS.

oppidum, Valenpoliere, & Moutondius arces, ac Mirebellū oppidum, Caitellionum, præterea arx & pagus, Sorlinum oppidum, & Castellana oppidum olim nobile. Hinc ad Septentrionem Arbolium est inter egregia oppida numerandum, ac per amœno loco situm, deinceps Vadonum est in monte vitifero situm, ac mox Bergmont pagus amplissimus, via qua itur Dolam. Dola autem ciuitas est Burgundicæ regionis omnium celeberrima, studiisque referta, ad Dubium flu. duobus brachijs scissum, loco pulcherrimo posita, pontibus, mœnibus, & stupendis propugnaculis, tum à ciuibus sumptuosissimis ædificijs magnificentissimè extructa. Hinc regredientes per montes Polichnium pergimus oppidum, mœnibus & turribus pulcherrimis munitum, cum arce Grimonia, hinc syluosis, illinc vitiferis montibus septum, quorum vinum laudatissimum est. Deinceps Meridiem versus Lothanum pagus, & in eodem agro regia regis erat Burgundiæ, cuius antiquitatem, ruinarum vestigia, & rudera apparent, & ab eius loci accolis *Chambretto* aut *Roj* hodie dicitur. Huic propinquū est Balma, natura munitum oppidum: Mox Artum antiqua vrbs, & Rufacum amœnum oppidum, cum Bletero oppido in planicie sito, dictum Bleterum: quasi bleterra, quod eius ager tritici ferax sit, nam Gallis *Ble*, triticum dicitur. Hinc breuis est transitus ad Loedonem, elegans cum primis, ac in plano situm oppidū, vbi hac ætate celeberrimum emporium. Quinetiam ipsū Lonfalium oppidum nomenclaturam habens à Salinis, quibus olim celebre fuit. Nec longè hinc Salsubium pagus, à falso enim fonte olim ibi scaturigine denominatum, vulgò *Saulbie* dictum. Non procul hinc est Orgetium mercimonijs florens. Incolæ lanificio operam dant, deinceps mons Floridus & Cheuannæ. Item Amurcum mercatorum insigne oppidum. Hinc ad Septentrionem sunt Salinæ amplissima ciuitas, toto orbe nominata, ac celebris, à falsis & altis fontibus, ibi iuxta alios aquæ dulcis fontes scaturientibus denominatæ. Munitissima quidem illa cum celsissimis turribus & firmissimo muro, cum duabus arcibus. Ciuitas autem ipsa in magna & augusta valle in longum extensa, inter montes horrendæ altitudinis, vinum apricis in locis fundentes præstantissimum, sita est. Mox Afna & mons maior arces munitissimæ, quarum hæc excelsio in monte totius Burgundiæ specula existit, seque alijs Burgundiæ vtriusque oppidis spectandam vndique præbet. Deinceps Villephanum & Ornatum oppida, nec non & Montroncum. A Salinis ad sinistram breuis est transitus ad Rhenam, & hinc Quingeum vetusta oppida. Deinde vltra Vefontionem Septentrionem versus sunt Pallina & Beuium sic dictum, quod iter ibi in duas vias scindatur. Deinceps Claruallis, Lila, Vesutium, ac Luxouium, & nonnulla alia, quæ breuitatis causa omittimus. Regio omnis montosa, ac collibus vndique confita, verum fertilitate longè inferior Ducatu Burgundia. Sunt tamen loca nonnulla agro vberi gaudentia, vel pecori alendo, vel fœcundo semēti apto: nascitur enim ibi triticum purum, siligo, hordeum, auena, faba, pisum, lens, vicia, & alia legumina. Iumentorum & pecudum quoque passim summa fœcunditas, quæ incolentiū nutrimentum non leuem præsent vtilitatem. Arborum quoque haud minor fœcunditas, pomorum, pyrorum, auellanarum, prunorum æquè mansuetium, atque syluestrium. Nec vinetis carent, vini laudatissimi feracibus, vtpote in agro Arbasiano, Polichniano, Lochanano, Villephanano: verū circa Castellanam oppidum gleba est admodum arida, aquarum enim



vique ad eò indigēs est, vt multi sint putei, & fontes nulli, & Orgetium quoque sterili laborat solo, vtpote assiduis collibus, vallibusque: non obliquo solum & inæquali, sed etiam rupibus & saxis aspero. Vnde communi prouerbio dicitur, habere campos sine graminibus, fluuios sine piscibus, montes sine syluis & nemoribus. Regio ferè vndique fluminibus irrigua est, quæ omnia ferè in Saxoniam seu Aratum exonerantur: vti sunt Dubius, olim Alduafius ad Motam pagum ortus ex monte Iura. Cella fluuius ex altissimis rupibus, iuxta Baltuam oppidum scaturit, & ad Artum delabitur, cum quo Arari affunditur. Lupa altissimus, latissimus, & rapacissimus Burgundiæ flu. vario piscium genere abundans, paulò supra Villephanum in Ouino pago oritur, nec longè à Dola cum Dubide in Ararim deuoluitur. A Dubide ortum versus est Laugium flu. paulò supra castrum. Iamberti ortus, ac Arari iungitur è regione Pontarti oppidi Danus flu. haud procul Syrodo pago, à Nozeretho Meridiem versus sito, ex sinuoso receptu montis ardui oritur, in profundi præcipitij antro fons imperscrutabilis profunditatis, latitudine forsàn ad passuum decimum per gurgitem altissimum tanta aquarum copia ebullit, vt statim in ipso ortu, (dictū incredibile) flumen nauigiorum capax satis esset, si liceret per rupes & saxa, per quæ deuoluitur. Fluuios in se recipit varios, Senam, Angelionem, & sic alijs sexaginta auctus fluminibus, per superioris Burgundiæ Meridionalem partem, atque Secusiam, quæ in Dubidis & Rhodani medio iacet in Rhodanum milliariibus aliquot infra Geneuam, & supra Lugdunum illabitur. Inde Rhodani nomen compositum esse arbitrantur aliqui. Lacus quoque multiplices sunt huius tractus: vtpote Voraginum lacus in agro Ripariæ seu Riui oppidi. Inter Nozerethum & Ripariam est lacus Bonuallis, septimo quoque anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens, deinde iterum emergit. In Claruallensis oppidi agro sunt ingentes lacus, variæ vastæque paludes, qui sapido pisce redundant. Lacus Malleteux duo, item Narlaj & Vernoi lacus, & Occidentem versus alij quinque, quorum duo Chamblici vocantur, tertius Fiogearj, quartus Clariualli oppido proximus est, quintus Ronchault dicitur. Montium qui hanc regionem occupant, præcipuus & nominatissimus est Iura mons, cuius iuga hinc passim assurgunt, ac ab Incolis variè nominantur, vt mons Rolandus, &c. Quod si quis nemoribus oblectetur, habet quocumque se vertat montes syluosos, in quibus varios auium cantus audire licet, & ferarum omne genus venatori obuium. Exhibent hi saltus ligna præstantissima & immensæ proceritatis, ædificiorum materiam, nec non & resinæ ingentem questum. E minæris præcipuè ferri fodinas habet iuxta D. Hippolytū, item haud procul Ornato Salinæ salæ coctilitium candore præstantè in finitimas regiones immensis curribus exportant: item quæ maximum Burgundiæ vetigal est. Marmor præterea, Gypsum & Alabastrites in Dolano & Lothario agro fodiuntur. Thermæ quoque aquarum calidarum Luxorio oppido scaturiunt, ebulliuntque. Regionis porrò termini sic latè sese habent, vt ab Oriente ad Heluetios vsque ascendunt.

A Meridie ad Allobroges & Secusianos extendantur, ab Occasu ad inferiorem Burgundiam porrigantur, à Septentrione Lotharingia, & superiori Germania terminentur.

# VEROMANDVORVM TRACTVS.

**V**eromanduos à Vermedione Pannonio-  
rum Duce, primo ciuitatis eorum fun-  
datore, nomē sortitos tradunt: cuius ori-  
ginis antiqui fidem ipsa vetustas dubiam efficit.  
Hac tamē gente (ut Petri Diuini verbis utar)  
nihil notius, eandem regionem, eodem adhuc no-  
mine appellati inhabitant. Augusta eorum oppi-  
dum Ptolomaeo, idem ut nunc quibusdam placet  
S. Quintinus dicitur, à Quintino Patritio Ro-  
mano, qui imperāte Diocletiano illuc transgres-  
sus, Veromanduos Christi religione imbuuit, An-  
tonini itinerarium Verbinū habet, nūc Veruin.  
Hac illa. Robertus Cœnalis in Catalogo restitu-  
torum vocabulorum, de ea gente hac scribit. Ve-  
romandui, Vermandois, Veromanduū castrū,  
Augusta Veromanduorū nunc diruta, restante  
pro reliquijs Cœnobia, sedes olim Episcopalis, nūc  
translata Nouiomū sub Diuo Medardo, Galli-  
cè Vermand dicitur. Vnde liquet id S. Quintini  
oppidum non esse Veromanduorum Augustam,  
cum cœnobiū id à S. Quintino Occidentem ver-  
sus recto tramite, distet duabus circiter leucis  
Gallicis. Eius Gallia Belgica pars est, quam Pi-  
cardiam hodie à Picardis populis vocant, regio  
oppidis, villis, castrisq; munitissimis referta, ut  
totius Picardia vallum, propugnaculum, atque  
clauis non immeritò dicatur: Cuiusmodi S.  
Quintinum oppidū, Perona & Isariacum em-  
porium, vulgò la Foire sur Oyse, Guysium ca-  
strum, cum alijs nonnullis. Est & Nouiodunum,  
vulgò Noyon, Episcopalis ciuitas, & una è duo-  
decim paribus Gallia Isara flu. quem Oysam  
vocant adiacens, nec nō altera Episcopalis Am-  
beanensis ciuitas, vulgò Amiens, quam urbem  
Somona amnis trifidus ingreditur, & inde bif-  
idus exit, inq; riuulos varios dispersus, vias  
nonnullas perluit, usque ad domū limina per-  
tingens, unde qui Ambianenses vulgò appellan-  
tur, eos rectius Ambianquēses, id est ambitos aquis  
dixeris: quasi interamnenses, seu interaquenses,  
aut Mesopotamos dicas. Prouincia est fertilissi-

ma, utpote qua nullo non tempore extiterit Pa-  
risiorum horreum ac frumentarium. Amnis  
humectatur Somona seu Somma, qua nonnullis  
Sabis seu Samara vocatur, à qua Cameracensis  
urbis Samaracū & Samarobrina videtur dici.  
Italis Samberai, Gallis Cambray, eū Ptolomaeus  
Phrudim appellare videtur. Nascitur is in Ve-  
romanduorum finibus, iuxta oppidum cui Beau-  
renoir nomen est, ex collē quodam unde Scaldis  
quoque scaturit, atque ut is recta in Boream  
fertur, donec Cameracum perluat, ita hic in Au-  
strum cursum dirigit, ac praterlapsus S. Quin-  
tina urbe, iuxta Hanū oppidū in Occidente ver-  
git, quo cursu Peronam, Ambianates, hos quidē  
sinistra, illos autem dextra ripa lambēs, ac Abbe-  
uillam transiens, tandem iuxta S. Valerianum  
castrum Britanico miscetur Oceano. Amnis al-  
ter Isara nomen habet, aliqui Oysam dicūt. Is-  
arico emporio nobilis est, per quod & Nouiodunos  
delapsus ex Septentrione, Pontisaram tandem  
alluens, Sequanam auget. De Scaldi insigni flu-  
uio, alio à nobis loco, dictum est. Prater eum mon-  
tem ex quo Sambra seu Samona Scaldisq; fluuij  
prorūpunt, regio cateroquin plana est. Syluis hinc  
inde conspersa, quarum praecipua accolis Forest de  
Beaulieu, Forest de la Fere, & Boys de Bayne di-  
cuntur. Quemadmodum minararum, ita &  
thermarum sterilis est, quippe medicatis aquis è  
minerali terra vim suam adsciscantibus. At  
quoniam tabula praesens uniuersam Picardiam  
non complectitur, ab eius terminis limitibusq; tra-  
dendis, abstinendū existimauimus. Meridianus  
huius tabula medius per Sanquintinum scilicet  
transiens, longitudinem habet grad. 25. min. 15.  
Parallellus autem per eundem locum transiens,  
latitudinem habet grad 49. min. 25. Unde paulò  
ultra initiū octauū climatis, quod est per Bo-  
rysthenis ostia situs, decimo septimo paral-  
lello minor 18. maior existit: diē totius  
anni maximam horarū habet  
paulò plus 16.





Vit olim hæc terra Burgundici seu Arelatensis regni pars. Anno autem gratiæ centesimo decimo octavo supra millesimum, ab Imperatore Henrico, eius nominis quinto, abolito Morianensis Comitatus titulo, institutus est Amedeus, Ottonis Imperatoris, eius nominis tertij ex fratre nepos, Sabaudia Comes: cuius successores nepotesque eundem Comitatum indies auctum ad annos ferè ducentos tutati sunt, donec anno Salutis millesimo trecentesimo nono, Amedeus eius nominis octauus, Comes Sabaudia ab Henrico Imperatore, qui Lucenburgus cognominabatur, Ducali titulo insignitus ornatusque sit, quamuis nonnulli id muneris Sigismundo Cæsari deberi tradant. Sabaudia verò nomen à Sabatijs vadis deductum volunt aliqui. Est id oppidum alio nomine Albiganum dictum, portus & emporium Ligusticum, hodie Albingue vulgò vocatur, ad Ligustici maris finem. Eius situs in longitudine gradus continet plus minus 31. in latitudine autem 42. crassa Minerua computatos. Locus satis procul ab hac regione distans, neque vnquam eius, vel Comitibus, vel Ducibus subiectus fuisse reperitur: proinde eum nominis huius authorem fuisse nequaquam verisimile est, magisque audiendi videntur, qui à Sebustianis Sabaudos dictos aiunt: est id oppidum Sebustum in Allobrogum finibus situm, hodie vulgò *Bourg en Bresse* vocatur, teste etiã doctissimo diligentissimoque Gallicarum rerum censore, scriptoreque Roberto Cœnali lib. 2. Periochie 3. Hunc autem tractum complures olim populi habitarunt: quorum omnium primi nobilissimi que extiterunt Allobroges. Vtpote qui aliquando & proprijs paruerint regibus: quorum primus Allobrox nominis eorum author fuisse traditur, circiter annum à Diluuiio 796. Hi iuxta Viennam oppidum ad Sagonam, qui & Arar dictus, ripam sinistra, sedem habuisse feruntur. Post hos Salassi, qui in valle Augusta ad Doriam flu. cõsederunt, vbi hac etiamnum ætate Marchionatus Salassiorum extat, vulgò *Le Marquisat de Salusses*. His autem inferiores ignobilioresque Caturiges, Cotias, Alpes occupabant iuxta Cinesium montem, hodieque adhuc vocabulum manet Cahors. Veragri extenduntur vltra S. Mauricium, & appellatur eorum ager Gallicè *Pays de Gaucot*, à Cauotris populis, pertinguntque ad regionem Fussentiriam, Gallicè *Fontceny*, & Latinè Vallis-bona appellatur, vulgò *Le Fossigny*. horum ager in mōtes porrigitur ad terna milliaria. Eorum Metropolis est Dina, vulgò *Dunoy*, principum Sabaudiensium sedes olim. Ceutrones quoque vetustum nomen retinuerunt Sentron etiã hac ætate dicti, haud procul Tarentasia ciuitate. Secus Isaræ Sagonæque confluentes Segalauni habitauere, vbi Valencia vrbs nunc extat, in Delphinatu. Barduni autem nominis sui vestigium reliquere in Barenfi Comitatu ad Doriam amnem. Bodiuntij Lemanno lacui vicini fuere. Cæterum quemadmodum hæc tabula non vniuersum Sabaudiensium Ducum dominium exhibet, ita nec omne id quod ea cõtinetur, iisdem principibus paret. Præter Burgundia siquidem Comitatum, quem suo loco peculiari eius tabula exhibita enarrauimus, Heluetiorum cõfederationi multa huius Chorographici typi loca subsunt. Multa Valesia annumeratur: quæ singula alibi pertractata sunt: multa tandem proprijs suis Comitibus regulisq; audiunt. quorum dominiorum limites hic tradere, non est nostri instituti. Sabaudiam tamè hæc Chartam intitulauimus, quod eius Ducatus maiorem hæc cõtineat portionem, Dominia, Baronatus, Comitatusq; permultos complectitur. Marchionatus quidem Sufensem, & eum quem supra Salassiorum diximus. Comitatus Atensem, Basgreensem, Morionensem, Barensem, Muscanensem, seu Matisconensem, Geneuensem, & alios Ducatus, insuper Augustensem seu Prætorianum & Pedemontanum. Metropolis Sabaudia est Camberinum, vulgò Tlamerin olim Ciuaro, ibi Parlamentum (vt vocant) est, haud conuentus Iuridicus, Tarentasia, Germanicè *Munster*, ab Episcopali quam cõtinet Ecclesia, Gallicè *Moftier*. Geneua clara vrbs, Lemanno lacui adiacet, quæ Rhodanus lacum secans medium effluit, ipsam quoque vrbe in duas ciuitates dirimens, quæ ponte vtrinque iunguntur, quarum quæ in Eoream vergit, Geneua maior, altera in oppositam partem tendens, Geneua minor appellatur. Ad Isaræ amnem sitæ sunt Montmelianum, Chamentza, Aquabellæ, Argentina, Pontamufroium & S. Ioan de Morienne, antiqua sedes ac domiciliu Sabaudiensium Ducum. In Salassijs sunt Epporrhedia antiquum oppidum, ab equis & curribus sic dictum. In agro Bressensi est Bourgum ciuitas, olim Sebustum, vnde Sabaudia nomen, mercimoniorum negotijs nobilis, quod inter Sagonam Rhodanique amnium alueos sita ingenti commoditate importandarum, exportandarumque mercium felix sit. Reliquas prolixitatis vitanda gratia, prætereo. Aër regionis purus, solumque fecundum, à ripa præcipue Heluetiorum secundum Lemanni lacus tractum, qui ab Antuatibus populis *die Vvat* vulgò vocatur, terra amœnissima cernitur, fertilisque, præter cætera vna proferens, generosa ripalia seu riualia, à ripa lacus dicta, Germanicè *Ryffwein*, idque tum in Bibiscensi agro, quem Viuiscum alij appellant, tum maxime Geneuensi. Alibi verò pascuis vberimis pro omni animantium genere præstat huius terra gleba, circa Alpes Graias, qui S. Bernardi mons minor appellatur, idq; ideo fieri aiunt, quod in Occasum vergens Sol obliquis suis radijs eorum montium latera percutiens virium plus habeat. Vltra verò eas Alpes dum Cinesio monti appropinquatur, nec pascua, nec virescentia vlla

cernuntur olera, cum perpetua nitie tectus, is mōs ab albedine Alpium nomen non immeritò sustineat, rupibusque ac frigore rigescat. Fluuij hunc Ducatum rigates sunt Doria, qui ex Pœninis alpibus ortus. Valim augustam perlabitur, tandem Padum auget. Ardua, Isara, Danius, Arar seu Sagona cum multis alijs Rhodano nominatissimo fluuiio miscentur, qui & ipse suis aquis hanc terram humectat. Is Adula monte ex summis alpibus ortus, ex quo monte & Rhenus & Danubius quoque scaturiunt, ita vt à Rheni anteriori riuo, si per verticosos montium tractus glacie niueque obductos, rectè pergere liceret. Montis vertex Furca appellatur: inter Rhodani autem Rhenique scaturigines vertex medius est montis Gothardi, quem Veteres summas dixere Alpes. Initium habet exile ex resoluta niue & glacie: statim autem ab exitu vndeunque affluente riuulorum copia furit & turgescit, miro irrumpens impetu, versus Occidentem, vsque ad Octodurum, hodie *Marinacht*, donec decidat in lacum Lemannum (qui ab initio Losannensis, à fine verò Geneuensis appellatur lacus. Longitudinis milliariorum Germanicorum sex, in latum verò ad tria sese extendit, idq; in medio gurgite, eum hæc præfens tabula exhibet integrum) quem intermeans, nusquã aquis miscetur externis, sed altrinfecus summitatis vnde præterlabens, exitus viam sibi impetu veloci molitur, longeque progressus per Sebustianos & Allobroges, Viennensem latere sinistro, dextro Lugdunensem Galliam perstringit, inde in Austrum flexuosus. Auarim quem Sagonam appellant, inter Germaniam primam fluentem, in suum nomen adsciscit, qui locus exordium est Galliarum. Exindeque auctus Rhodanus aquis aduenit locupletior. Vehit gradissimas naues, finitusq; inter valles, quas ei natura præscripsit, totus spumeus Gallico Tyrrenouè mari duplici ostio patuloque concorporatur, ab Arelate octauo decimo fermè lapide disparato, fossam implens Marianam, quas aquas mortuas seu sedentarias vocant. Perspicuum autem cunctis esse debet tam præcipitem esse hunc amnem, vt aduerso flumine nauigium minime admittat. Quod si qui salarium onus deferentes, contra niti magno labore contendant, necesse fuerit ad huiusmodi onus contra fluminis impetum subuehendum, equorum iungere Centuriam, priusquam aduersum flumen nauigari possit. Occurrunt nonnunquam in alueo medio, nisi quis sibi providè cauerit, scopuli latetes, quibus illisa nauigia, nonnunquam pereunt. Quin & in quibusdam locis tenuis, vadofusque fluuius onerariam quandoque nauim subiacenti arenæ immerfam sistit: cui effugiendæ salebræ vnicum remedium est, exonerata naui iustum quærere alueum. Vbi verò ad S. Spiritus testudinem deueniendum est, nauta, nisi ad amussim ex longinquo sui nauigij cursum direxerit, præsentissimum illi restat naufragium: dum neque nauim sistere potest, neque semel acceptum impetum diuertere. Qui igitur pronò descendunt alueo, vectorias suas naues, vbi ad portum venerint Rhodani extremum, eas pretio distrahere necesse habet: cum nequeant reuocato gradu cõtrario reuerti flumine. Fluuijs autem intumescit à prima sua scaturigine ad eiusdem ostia his præcipue, Gomeus, Vlderus, Vvistacus, Sargina in Sedunis Rhodanum implèt. Borneus item, Scitta, Morsusq; amnes non procul Seduno, in hunc se exonerat. Arona & Scofus, haud procul Agauo & Octoduro, Arbam autè sub exitum suum è lacu absorbet, Arar qui & Sagona Alduasubim secum defert in Rhodani alueum. Isara, Durio, Sorpioque Comitatus supra Valenciam in Segalaunis Rhodano confluit. Surga apud Volcas eidem se cõdit. Druentius haud procul ab Arelate subit eius alueum. Superest nouissimus ad Rhodani ostia Lædus petrosus fluuius. Montana admodum est regio, præter Claudium montem & Iurassum, quos in Antuatibus attollit, Pœninae Alpes in Veragris in immensum eleuantur, nunc S. Bernardi mons maior dicuntur. In Salassijs Grayæ Alpes extant, nunc S. Bernardi mons minor & Siluius mons. Sub his in Morienne Comitatu Alpes Cotia sunt, hodie *Mont Senis* Galli dicunt, id est, Cinesius mons, olim Vesulus dictus, & Aguellus collis, Petram habens pertusam, per quam ex Gallia in Italiam iter patet, cuiusmodi & in Iuræ montis radicibus extat iuxta Dachsenfeldiam *Pireport*, id est Petrae porta dicta, quam Iul. Cæsar ex Italia veniens perfregit. Sunt montes isti plerunque glabri, adeò vt ne frutices quidem neu arbores ferant, immenso algore ob altitudinem rigentes: vnde syluæ raræ sunt, valles tamen nonnullæ & inferiores humilioresque montes, præsertim qua Valesia proximior est, proceris arboribus, præsertim laricibus seu terebinthis, abietibus, pinis eiusque generis alijs frequentes sunt. Mineras Thermaeque huius tractus in Valesia descriptione expediuimus. Terminatur hic Ducatus à Septentrione Comitatu Burgundia, ab Ortu Valesia, Heluetia, & Pedemontana regione, à Meridie Prouincia & Narbonensi Gallia, ab Occidete partim Delphinatu, partim Lugdunensi Gallia. Meridianus per mediū eius transiens continet longit. gradus plus minus 27. min. 28. Parallelus autem eandem dispescens mediam, latitudinem habet grad. 45. min. 30. quo loco famatissima ciuitas Geneua. Est autem is parallelus numero 15. Heterosciorum autem nonus, diem efficiens totius anni maximam horarum 15½. continet autem in longum, id est, ab Occasu in Ortum Leucas 47. in latum autem

# CALETENSES ET BOLONIENSES.

XXII

**E**xhibet hæc tabula eam Belgicæ Galliæ portiunculam, sub Picardis populis cōprehensam, quæ Gessoriacum portum, seu Iccium portum continet, quem Boloniam hodie vocant, à sabuloso solo, ex eius generis sabulo, quod feruēs maritimi homines dicunt, quare à buliendo Bolonia nuncupata videtur. Multis tamen Calesium, quod Scalas nonnulli appellant, Iccius portus esse videtur, quorum sententiam cum Meiero rejicit & Robertus Cœnalis, de re Gallica lib. 2. Perioche 3. Vbi ex situ Boloniæ conatur ostendere eandem esse Icium portum, Strabonis adducto testimonio, afferentis interiectum maris ab Icio in Angliam 320. non amplius stadia complecti, quæ ex æquo constituunt milliaria 40. Porro inquit, tabulæ recentiores designant à Bolonia ad Douerium milliaria anglicana 16. nempe Italicis longiora, à Calesio verò 18. Iulius Cæsar Commentariorum belli Gallici libro 5. contractiorem distantiam facit, passuum triginta millium, quæ stadia saltem conficiunt 240. seu milliaria Italica 30. Testatur & id quoque apud Caletenses non esse portum Icium seu Gessoriacum, quod utrorumque Cæsar meminerit, libro siquidem secundo refert Caletos, (qui indubiè Caletenses sunt) pollicitos esse Galliæ Regi millia armata decem, ad bellum Cæsari inferendum, & iam antè monuimus lib. 5. eiusdem Cæsaris etiam Icium portum nominatum esse, quorsum naues 28. quas fieri curauerat, conuenire iubet. Vnde palàm liquet apud Caletes non fuisse Icium portum. Comitatus autem titulo nobilis est Bolonia, quam dignitatem adeptam est tempore Caroli Calui Regis Galliæ, quo tempore Sainct Paul, Oye, Guines, & Artesia eodem honore titulòq; potitæ sunt. His verò etiã Comitatus Pontiuorum vicinus est, quem *Ponthieu* vernacula lingua Galli dicunt, quod nomen à pontiũ ibidè frequentia sortitus esse videtur. Est verò uti Arnoldus Ferronius refert duplex Bolonia: Inferior quam vocant, & Superior Bolonia. Inferior vicus est non septus mœnibus ante Anglorum aduentum. Ibi Fanum D. Nicolao sacratũ, & aliud Franciscanorum Sodaliũ. Mare Anglicum, vicum alluit. Prope Fanum Sodalium, quod non longè abest à mari, facillimus est traiectus in Angliam. Abest à Bolonia Superiore centum ferè passus, & eo quid fortè amplius. At Bolonia Superior, cincta mœnibus validissimis. Ibi fossæ præaltæ muros ambientes. Extat ibidem etiãnum hac ætate turris quædam fortissima à Iulio Cæsare extructa gratia muniendi eius loci, pro exercitu suo contra Gallos vicinosque Britannos seu Anglos, quos eo tempore de-

bellabat. Est Calesium oppidum nostris temporibus bellis famatum. Id cum anno gratiæ trecentesimo quadragesimo septimo, tempore nimirum Philippi Valesij Gallorum Regis, ab Eduardo Angliæ Rege captũ esset, annis ducentis & vndecim ab Anglis occupatum fuit, donec anno 1558. ab Henrico secundo eius nominis Gallorum Rege receptum est. Est quoque in hoc tractu Bauacum, septem olim viarum staturis nobile, hodie Indigenæ vocant *Le sept Voyés*. Est & oppidum Montreul, Chauciæ flu. iunctum. Indigenæ morosi habentur, sibiipsis plus satis indulgentes: Regio autem inamœna, Bolonia tamen supra quam dici queat, iucundo loco sita, agro gaudet optimo. Amnibus riuulisque humectatur Archia, qui per Arquense oppidum, Fanumque Audomari in Grauelingam defluit. Inde non procul Scalense est æstuarium, adusque Arderam arcem æstuans. Nec desunt æquorei riuuli duo, Marquisianus scilicet & Boloniacus. Est & Hautia seu Hefdin amnis, qui Hefdino oppido nomen suum communicat. Sequuntur deinceps Pontiuorum paludosa fluentia, & Cauchiæ flumen, à Sainct Paulino Fano ad D. Iodoci oppidum, in pelagus defluens. Horum verò nonnulli amnes pisculenta efficiunt stagna, seu viuaria, à vicinis oppidis denominata: cuiusmodi sunt quæ sua lingua vocant le Viuier de Hames, le Viuier d'Andre, le Viuier d'Ardres. Mõtibus arenarum vniuersus hic tractus secundũ littus maris septus est. in interiori verò regione mõtes cernuntur, quos sua lingua, les Monts de S. Ingleuert, & les Monts de Neucastel, & Dannes vocant. Syluis verò ac lucubus omnis ferè conspersa est regio. Arduennæ sylvæ, autè eius quam Boys de Mormau Hannoni vocant, portiones sunt, varijs in hoc tractu ascitis nominibus, vel ab euentu quodam, vt Champfalij, vel ab adiacentibus oppidis vicisque, vt le Boys de Ternart, le Boys de Bourfin, Boys de Celles, Grand Forest de Boulongne, Forest d'Ardelot, Forest de Surene, Forest de Tourneham. Minærarum haud fœcundum est id solum, neque thermæ vllæ hinc celebres sunt. Circumscribitur autem à Septentrione quidè Oceano Germanico, ab Ortu Flandria Occidentali, à Meridie Artesia ac Picardia; ab Occidente Británico seu Aquitanico mari. Cumque totus eius circuitus 26. non amplius leucas complectatur Gallicas, solùm illud de eius situ addidero. Lõgitudinem eius mediam habere gradus 23½. latitudinem autem 50½. vbi Boloniense oppidum. Vnde mediam ferè secat parallelus 18. qui est Heterosciorum duodecimus, diemque efficit totius anni maximam horarum plus minus 16½.

Y

LIMA